

vel sub annuis censibus seu redditibus, datis super huiusmodi litteris, factis renuntiationibus adiectis poenis, iuramentis interpositis in enormem laesionem ipsius ecclesiae concesserunt, quorum aliqui dicuntur super his in forma communi a sede apostolica seu legatis eiusdem vel ordinariis confirmationis litteras impetrasse. Quia igitur nostra interest laesis ecclesiis subvenire, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus ea quae de bonis ipsius ecclesiae per concessionem huiusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus renuntiationibus, poenis, iuramentis et litteris nec non confirmationibus supradictis, aut si aliquibus sit a praedicta sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici seu extra certa loca per litteras apostolicas in causam trahi non possint, nisi plena et expressa de praedicta indulgentia et de toto tenore ipsius de verbo ad verbum in eisdem litteris mentio habeatur, ad ius et proprietatem ipsius ecclesiae studeas legitime revocare, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Anagninae Kalend. Octobris pontificatus nostri anno duodecimo.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an häufener Schnur.

179. 1255. 14. Oct.

*P. Alexander IV. bestätigt den zwischen dem Bischof und dem Markgrafen Heinrich abgeschlossenen Vergleich wegen des Zehntens in der Lausitz, der weltl. Gerichtsbarkeit in der Pflege Wurzzen u. s. w. Vgl. No. 162.*

Alexander episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . episcopo Misnensi salutem et apostolicam benedictionem. Ea quae iudicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere, et ne in recidivae contentionis scrupulum relabantur apostolico convenit praesidio communiri. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod cum inter te et dilectum filium nobilem virum H. marchionem Misnensem super decimis terrae Lusicensis, iurisdictione temporali terrae Wrcinensis ac rebus aliis ad te et ecclesiam Misnensem spectantibus orta fuisset materia quaestionis, tandem mediante venerabili fratre nostro archiepiscopo Magdeburgensi loci metropolitano suisque collegis amicabilem super his inter partes compositio intervenit, prout in patentibus litteris confectis exinde plenius dicitur contineri. Quare pro parte tua petebatur a nobis, ut compositionem ipsam roborare apostolico munimine curarem. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati compositionem eandem, sicut rite sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Anagninae II. Idus Octobris pontificatus nostri anno primo.

B. M.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit der Bleibulle an rothen und gelben seidenen Fäden. Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 76.